


FUNEBREM
LIVONIAE
IN PRIMIS RIGÆ METRO-
POLIS LUCTUM
intimat

M. IOH. BREVERUS,
Eloq. Professor.



Typis SCHRÖDERIANIS, Anno 1643.

5-A

5143.

A 5075.1

Thren. v. 7. 15. 16.

Cessavit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri: *va* nunc nobis, quia peccavimus!


EST

A 5075

Est. A

Tartu Raikivõ Ühiskond
Raikivõ Ühiskond
9129

i 44016185



Unquam civitati Rigensi-

um magnoq; Livoniæ Ducatui

vel major fortitudinis necessitas, vel

justior pietatis occasio extitit, quam

cum sapientissimus factorum mode-

rator, DEUS, donatum huic seculo

cælitus HERMANNUM SAMSONIUM, sui no-
minis & virtutum omnium virum, ad æternitatis sedem
vocavit. Fuerunt hæcenus in totius Ecclesiæ atq; Pa-
triæ oculis tot meritorum, ingenij, bene-
gestorum monimenta, quot in uno occurrentia miraculi æstimationem & officia gratiæ: in uno heu! amissa grande nunc desiderium atq; dolorem merentur. Tanta in præsentis funere jactura facta est, ut nullis lacrumarum egestionibus mitigari: tantum Livoniæ detrimentum, ut nullo propemodum constantiæ experimento superari possit! Habet hoc, post alia, tantorum casuum importunitas, ut inter ipsa generositatis meditata inopinatus saepe horror eluctantem per adversa fiduciam lacescat, & quò studiosius à perditorum desiderio munimus animos, eò se formidabilius offerat futura sortis interpretatio, nulli magis obvia, quam ubi maximè vitatur. Hoc in primis tempore, ubi non contemnenda infelicitatis omina rem expendentibus occurrunt, quæ conspirantem

periculorum tempestatem sereno nostro minitantur. Cadunt, cadunt Viri regionis principes, quorum curis atq; vigilijs, post DEUM, tota illius gubernatio salutem debuit: cadunt civitatum munimenta, non muta isthæc aut inanima, quæ ruere ac reparari continuo possunt; sed viva, sed spirantia, quæ vigorem atq; animam Rebus publicis infundunt. Neq; dubitandum cuiquam est, quin refossum Politicæ Livonicæ vulnus novo Ecclesiæ vulnere plenam ancipitis consilij medelam faciat; aggravante mali sensum eâ præsertim necessitudine, quæ publico & supra sanguinis vincula solenni utrinq; nexu intercedit. Nemo SAMSONIUM nostrum solius religionis damno cecidisse inferat: latius sese propagare solet, quod clarissimorum DEI virorum obitus non raro sequitur. Testis est Africa, quæ vix Augustinum suum inter miserabiles omnium lamentationes sepelierat, cum & Arrius religionem, & Gensericus regionem ferro flammisq; peragraret. Testis est (ne veteres Ecclesiæ fastos excutiam,) Thuringia, quæ nunquam miserius sub cruciatu bellico vapulavit, quam cum Gerhardum suum ad beatum corporis portum comitata est. Testis est Saxonici Electoratus unio, Lipsia, quæ, post elatos ante sesquiannum Höpfneri sui cineres, mutatam penitus faciem suam experitur. Utinam, quicquid horum est, ignoraremus hodie, ubi SAMSONIO suo sepulcrales honores adornat pia Patria, incomparabile depositum cœlo redditura: cujus vitam ab ipsis carceribus in gloriosæ virtutis curriculo ad metam usq; deductam breviter delineabimus. Primam hujus lucis usuram hausit SAMSONIUS in hac ipsa Livonum

Metropoli, matre bonorum ingeniorum felicissima, ne minor tantis Viri dotibus patria obtingeret, anno Christianæ computationis supra millesimum, quingentesimum, septuagesimo octavo, Mense Martio. Patrem habuit virum perquã Strenuum NAEMANNUM SAMSONIUM, Ductorem hîc civilium ordinum fortissimum, Geldriâ oriundum, ubi Samsoniorum adhuc familia multis virtutum nominibus celebratur: matrem ANNAM BOKERIAM, feminam honoratissimam; qui cum tertiam hanc ex sese subolem rei secum mercatoriæ destinassent, quadrimulus noster, evocato ad cœlestia parente altero, natam humanioribus literis indolem prodidit, & mater, ejusmodi factorum indice mota, filiolum suum in scholam hujus civitatis deduxit. Quanta, bone DEUS, in eo statim discendi industria! quanta ex moribus modestia! quanta in Præceptores observantia! nunc proximos; nunc superiores; postremò semetipsum eximiâ laudis cupidine incitabat, vincebat, atq; adeò, quocunq; ipsum comitaretur potius, quam duceret docentium fidelitas, non nisi in primis consistebat: Quam facilè verò bilem invidentibus movere virtus potest! Jesuitæ, intra urbis hujus mœnia hærentes, sæpius captabant SAMSONIUM nostrum, &, ut in alumnatum Brunnsbergensem abducerent, demum capiebant. Sed intervertit pestilens propositum divina providentia, suumq; SAMSONIUM ex Jesuitico curru fugientem in silvam: ex hac in Patriam: ex hac in Academiam Rostochiensem Anno M. D. LXXXIX. arcessivit. Ibi Noster, patientiorem indoli suæ campum offendens, in convictu

summi quondam Philologi & Theologi, D. D. Lubini, integrum annum consumsit, & latinæ præcipuè atq; græcitatæ scrinia, eruditionis accuratæ sacraria, excutere perrexit. Witteberga verò, prima reflorescentis religionis mater, blandioribus ipsum invitabat illicijs; ad quam ubi pervenit, penitissimè defixis in Theologiam oculis, omnem animi conatum in illius cultu occupavit. Philosophiam igitur, necessarium futuri Doctoris instrumentum, seriò tractare cepit, longissimè ab illorum sententia remotus, qui, ex scholastico pulvere vix emergentes, sine comite illa, in amplissimos Facultatum hortos ruunt, aut quicquid humaniorum venit nomine, fatuo supercilio adspernantur. Neque præmium defuit industriæ, (quando enim defuit?) Magistræ ornamentum laurus Philosophicæ, quam inter competitores plurimos anno M. DC. V. primus feliciter reportavit. Et jam, post lustrata Sanctæ lingvæ penetralia, divinæ mentis Interpret totum sibi vindicabat SAMSONIUM, propositis summæ doctrinæ Ductoribus & Doctoribus, Hunnio, Gesnero, Rungio, Hüttero, quorum expectationem ut aut æquaret, aut vinceret, in publicis semper & privatis Collegijs, quod habitæ toties disputationes loquuntur, felicitatem laboris sui exercuit, dignus à Theologica Facultate præ aliis habitus, qui loco defuncti D. Gesneri in Templo arcis dimidium annum concionando Wittebergam erudiret. Sed jam tempus est, ut SAMSONIUM, plus octo annos in Musarum Albiacarum sinu hærentem, reddamus patriæ, civibus suis, toti Livoniæ, incrementum hoc suum expetenti, quo tot jam annos

annos invita caruerat. Rediit ergo circa ætatem
anni M. DC. VIII. ex utilitatum publicarum mercatu
felicissimus negotiator : properat in amplexum desi-
deratissimæ patriæ , ut egregii publici commodo exi-
mios donorum suorum proventus impertiret. Nec mora
impetrandi adfuit, unde abfuisset festinata petendi teme-
ritas. Ipso igitur Johannis die in templo Petrino fle-
xamina ipsius facundia ex suggestu auditur , probatur,
expetitur : omnibus feliciter acclamantibus , omni-
bus singularem votis suis fiduciam & robur assumen-
tibus ; hoc nimirum Samsonianæ virtutis theatrum
fore, in quo sese civibus suis laudabiliter explicaret.
Mox in sacrosanctum Ministerij ordinem adscitus : mox
ad-Inspectionem Scholæ patriæ vocatus est , ut & salu-
tis æternæ , & felicitatis publicæ fundamenta strueret ;
quæ, nisi ex benè constitutis scholis petantur , in qui-
bus quæso angulis aut compitis curiosulæ Scholarum
mastiges latere existimant ? Quemadmodum verò
multiplici virtutum ornamento spectabilis virgo mul-
torum plerunq; procorum sollicitationibus exposita
est : simili profectò ratione boni patrij pararius, S A M-
SONIUS, multorum in se Regnorum, Ducatum,
Civitatum oculos convertit. Offerebat alumno antè
suo Rostochium Professionem Academicam & Pasto-
ratum : offerebat Ecclesiastica munia splendidissima
Hamburgum : offerebat Dantiscum ; ast retinentibus
Patriæ suæ votis reniti nolebat, qui se eidem & natum
quondam, & educatum non ignorabat. Quid enim ?
An concreditum sibi divinitus ovile Christi Jesuiticis
lupis objiceret, qui nocturnas diurnasq; insidias ortho-
doxæ

doxæ hinc veritati machinabantur? HERMANNUM
SAMSONIUM & sui nominis virum tempeſtas illa
requirebat, qui invictâ mentis magnitudine quales-
cunq; illorum impetus exciperet, quantascunq; retun-
deret. Venenata calumniarum ſpicula in eum hinc inde
jaculabantur: fruſtra! diſputationibus ipſum ſuis cre-
bro infeſtabant: fruſtra! amicitiam eminus, cominus
ambiebant: fruſtra! per nobiles promiſſionũ cuniculos
constantiam tentabant: fruſtra! truculentis molitionib9
illius vitæ infidiabantur: fruſtra! HERMANNUS SAM-
SONIUS, cœleſtium armorum ſplendore conſpicuus,
tibiq; colloquiorum victoriis: ubiq; divinis diſſertatio-
nibus: ubiq; ſcriptis quamplurimis eminuit, emicuit,
triumfavit. O virum patriâ ſuâ digniſſimum! quæ
memoratas ob cauſas anno M. DC. XI. Cathedralẽ:
poſt ſeptennium ſupremum ipſi Paſtoratum detulit,
cum nullum hic illuſtrius officium poſſideret, quo ci-
vem ſuum benemerentiſſimum poſſet exornare. Poſt-
quam Civitas hæc atq; omnis Livonia victricibus GU-
STAVI MAGNI, Svecorum quondam Regis glorio-
ſiſſimi, armis paruit, notus jam antea benigniſſimo
Regi SAMSONIUS in deliciis ejusdem cenſebatur,
designatus anno M. DC. XXII. Livonicarum Eccle-
ſiarum Superintendens, ut barbaros populorum mores
ad cœleſtis doctrinæ formam deduceret: deductos con-
ſtitutis à ſe Paſtoribus emendaret: emendatos per an-
nuas Synodos ab omni hæreſium inquinamento aſſere-
ret. Præſtitit hoc virtute DEI SAMSONIUS, &
ita præſtitit, ut Regia munificentia Veſtenſi in Livonia
diſtrictu, principe laborum præmio, & ipſum, & omnes

omnes Samsonianos posteros donaret. Ne autem in tanto referendorum concursu illius mentionem officij negligam, quod immortalis cum fructu, finito feliciter Inspectionis officio, itidem hic administravit, promptisque ex ditissimo eruditionis penu Theologiæ divitiis publicè, privatim: cives, peregrinos, opulenter instruxit, ut non nisi propudiosæ ingratitude mancipium nominandus sit, qui, se ad amplificandam Beati nominis gloriam teneri, non fateatur. Professio illud est Theologica, cui tredecim ferè annos, ab incunabulis scilicet Rigensis Collegii, præfuit, illamq; divinis suis meditationibus, utinam diutius! illustravit. Quid enim aliud posset vir meritorum celebritate prælustri scenerari officiis suis, nisi gloriam, non invidiam suæ ipsius traducem? Cui ceu fastigium impositura S. R. M. Sueciæ, ante tres ipsos annos, ob præstita tot virtutum documenta, Superintendentem suum Nobilitatis honore & insignibus, cum omni posteritate, condecoravit. Nihil his addo, præter confessionem infantiaæ meæ, quæ ab ulteriori meritorum recensione imparem hunc & nimis hucusq; temerarium calamum revocat, ne SAMSONiana fortè excellentia juvenilium verborum vilitate contaminetur. Si enim, ex Salustiano monito, virtus eorum, qui præclare quid fecerunt, tanta haberi solet, quantum verbis potuerunt extollere scriptorum ingenia; quis obsecro, si ad augustas SAMSONII nostri laudes eundum fuerit, ex ordine nostro sufficiet? Sin professio pietatis aliqua in piè defunctum à nobis requiretur, Panegyrica forsitan Oratio eandem suo tempore fusiùs declarabit. Mantissæ interim loco

tribus, quod ajunt, verbis domesticum SAMSONII nostri statum designo, quem ipso Johannis die, anno M. DC. IX. feliciter auspicatus est, ductâ in matrimonium Virgine tum planè egregiâ; nunc viduâ longè mœstissimâ, singularis exempli matronâ & si olim fuisset, HELENA HARTMANNIANA, Spectatissimi Viri BRUNONIS HARTMANNI, Civis hîc & mercatoris primarii, filiâ, quicum optatissimam vitæ conjugalis societatem, in vario prosperitatis accremento, coluit, susceptis ex ea quinque filiabus & tribus filiis, ex quibus ibi duæ adhuc, sexus sui ornamenta, supersunt; totidemque filii, paternarum virtutum heredes æmuli, alter in Argentoratensi: alter in Wittebergenfi Academiis magna cum laude, majori cum expectatione omnium, cum primis Patriæ, adhuc versantur. O consummatæ tandem felicitatis patrem, si nobilissimam senectutis suæ spem, utrumque filium reducem, videre contigisset! Sed aliter visum fuit supremo votorum nostrorum arbitro, qui SAMSONIO nostro septimanis abhinc aliquot, cū notabili langvore, scirrhum & simul hydropem socium, in superabilem penitus humanis auxiliis morbum, immisit, & ante sedecim dies fideli suo suggestit, ut cœlesti Synaxeos sacre viatico instruendum sese curaret. Quod magna etiam cum devotione factum; Nosterque, elatis supra hoc mortalitatis æstuarium cogitationibus, duobus Dnn. Collegis suis constantem Fidei confessionem edidit: se videlicet doctrinam illam, quam & calami & vocis ministerio publicè privatimque propugnaverit, immotam secum servaturum, & ad tribunal supremi judicis, DEI sui,

fui, delaturum esse, certissimum animi, quicquid hactenus in controversiarum negotio, indignantibus passim sectariis, proposuerit, ex limpidis Israelis fontibus omnem dimanasse. Ab illo tempore, in nonum usque diem, inter calidissima cœlestis animi suspiria cum Salvatore suo egit, totumque se illius beneplacito stitit, donec sanctissima anima à tot superatorum studiorum collega, corpore, circa sextam ejusdem diei vespertinam placidissime secederet, postquam in eo sexaginta quinque, & quod excedit, annos hospitata esset. Jacet ergo Ecclesiæ Livoniæ gloria! filet interpres oraculorum cœlestium, lingua! cecidit palladium Collegii nostri! decussus est flos Ecclesiastarum! obiit Princeps sui ordinis, omni titularum pompâ superior, SAMSONIUS, Theologus de universa Christi Ecclesia tot annos meritissimus! O jacturam nullis lacrumarum egestionibus mitigandam! O damna Livoniæ, nullo propemodum constantiæ experimento superanda! Ite nunc, quotquot Viri tanti cultores extitistis! ite Livoniæ lumina & columnina! ite Rigenses incluti! ite queruli Gymnasij cives! ite nunc, & exequali officio SAMSONII vestri exuvias ad Petrinum quietorium cras comitamini, ut & honorabilem & desiderabilem incomparabilium virtutum memoriam ætatem conservetis. P. P. Rigæ, d. XXV, Decembris, Anno M. DC. XLIII.

